

prima divisio irregularitatis; quædam enim est propter indecentiam tantum, alia propter culpam. Circa quam oportet advertere nullam esse irregularitatem in cujus causa non consideretur aliqua indecentia, quia hæc est veluti adæquata causa irregularitatis ut sic; nulla enim alia assignari potest, cum tamen necesse sit, irregularitates omnes, sicut in communi ratione irregularitatis conveniunt, ita in aliqua communi et adæquata causa convenire. Item quia sine aliqua causa proportionata non potest irregularitas imponi, esset enim injusta; hæc autem causa si non includit culpam, necesse est ut saltem indecentiam contineat; si autem continet culpam, a fortiori continet etiam indecentiam, quia nulla potest esse major quam defectus gravis includens culpam. Est ergo hæc indecentia communis omni irregularitati. Quapropter, ut distinctio inter prædicta membra constet, cum præcisione sumenda sunt; nam quædam est irregularitas fundata in sola indecentia absque culpa, alia in indecentia includente culpam. Atque ita hæc divisio, et membrorum sufficientia manifesta est. Hinc vero colligitur, irregularitates has ex vi prædictæ distinctionis non differre formaliter in ratione privationis, seu impedimenti canonici, sed tantum per habitudinem ad causas ex quibus oriuntur, sicut differunt excommunicatio ob violentas manus in clericum injectas, vel ob peccatum hæresis; ita enim quædam irregularitas oritur ex defectu natalium, verbi gratia, in quo nulla est culpa ipsius personæ irregularis, alia vero ex iteratione baptismi, quæ est cum culpa, et sic de aliis. Solum ex hac differentia resultat in una irregularitate relatio, seu respectus pœnæ, qui non invenitur in alia; pœna enim dicit relationem ad culpam, juxta doctrinam D. Thomæ, 1. 2, quæst. 87, art. 1, et in præsentis attigit Covarr. in principio dictæ Relectionis, qui jura et alios auctores refert. Hic autem pœnæ respectus est accidentarius ad rationem irregularitatis, et veluti secundario illi conveniens, ut magis in sequentibus declarabitur.

3. *Nulla irregularitas est censura.* — Tandem advertere oportet, nonnullos auctores ex hac divisione colligere aliam, scilicet, irregularitatem quamdam esse censuram, aliam non esse censuram, vocantes censuram, illam, quæ est pœna, non vero aliam. Ita sensit Soto, in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 1, quem moderni aliqui Thomistæ secuti sunt, et Cordub., lib. 5 de Indulg., quæst. 43,

dub. 4. Illa vero distinctio neque juri, neque traditioni Doctorum, neque praxi Romanæ Curia, nec rationi consentanea est, ut latius ostendimus in disput. 4 hujus libri, ex cap. Quærenti, de Verb. signific., et ex propria ratione censuræ, quæ est ut sit pœna medicinalis ad correctionem imposita, ex cap. Corripiantur, cum aliis, 24, quæst. 3, et ex cap. 4, et cap. Dilecto, cum aliis, de Sent. excomm., in 6, et Trident., sess. 23, cap. 2 de Reformat. Et ideo ex eo solum quod quædam irregularitas pœna est, non colligitur esse censuram, tum quia non est pœna medicinalis, sed ex se perpetua; tum etiam quia in illa irregularitate, quæ est pœna, principalis ratio ejus magis consistit in indecentia et inhabilitate inde contracta, ratio autem pœnæ secundaria est. Et confirmatur, quia, si hæc irregularitas esset censura, celebrans cum illa novam incurreret irregularitatem; generale enim principium est, violatorem censuræ per celebrationem fieri irregularem; quod esse falsum, et contra communem sententiam supra ostensum est. Nomine ergo censuræ generatimposito nunquam comprehenditur irregularitas, ut rectius docuit idem Soto, lib. 5 de Justitia, quæst. 4, art. 4. Atque hæc doctrina, licet fortasse speculative considerata videri possit ad modum loquendi pertinere, tamen in materia morali necessaria est ad intelligenda privilegia, vel rescripta, in quibus aliquid de censuris disponitur; nunquam enim comprehendunt irregularitatem, si solum de censuris generatim loquuntur. Quod olim non ita distincte explicabatur, sed pro certo supposebatur in praxi; nunc autem fortasse propter opinionem post Sotum introductam, solet declarari in bullis et Jubilæis, ut novissime vidimus in solemnibus et amplissimo Jubilæo a S. D. N. Clemente VIII, ad instantiam Regis Catholici concessio. Potest etiam ad hoc confirmandum expendi locus Concilii Basileen., sess. 24, ubi conceditur fidelibus quædam indulgentia plenaria, et ad illam consequendam datur facultas eligendi confessorem, et illi datur facultas absolvendi ab omnibus censuris etiam Summo Pontifici reservatis; et tamen paulo inferius, quia sub illa concessione non erat inclusa irregularitas, datur facultas non absolvendi (quod notandum est), sed dispensandi in irregularitate occulta, præterquam bigamiæ, et homicidii voluntarii, quarum altera pœnalis est, altera minime; neutra ergo sub censuris comprehenditur.

*Secunda divisio irregularitatis in communi.*

4. *Ob nullum defectum spirituales involuntarium incurritur irregularitas.* — Alia vero divisio irregularitatis potest ex prima colligi. Nam quædam irregularitas contrahitur per actum proprium hominis irregularis, alia vero sine ipsius actu. Quæ divisio æque universalis est ac præcedens, membra vero sunt diversa; nam omnis irregularitas, quæ sine proprio actu contrahitur, sine culpa incurritur, quia per solam passionem sine morali actu non committitur culpa actualis, de qua loquimur; nam sola originalis culpa non potest esse fundamentum alicujus irregularitatis, ut per se notum est. Irregularitas autem, quæ contrahitur per proprium actum, potest sine culpa, et cum illa incurri. Et ita hæc pars comprehendit unum membrum integrum divisionis præcedentis et partem alterius. De illa ergo irregularitate, quæ sine proprio actu contrahitur, nihil dicendum vel dubitandum in communi occurrit; semper enim fundatur in aliquo defectu passivo (ut sic dicam), in quo Ecclesiastica lex sufficientem indecentiam consideravit, ratione cujus hanc inhabilitatem apposuit. Subdividitur autem hoc membrum in plura, juxta varias causas seu defectus, propter quos incurritur. Et primo dividi posset, juxta opinionem aliquorum, in irregularitatem ex defectu corporali, vel spirituali, sine proprio actu contractam. Sed non invenio spirituales defectus non voluntarium, propter quem contrahi possit irregularitas; solum enim posset talis existimari ignorantia, de qua infra dicam vel non esse propriam irregularitatem canonicam, vel non sine hominis voluntate. Idemque est de iterata receptione baptismi, nam si voluntarie fiat, jam non est sine proprio actu; si vero fiat involuntarie per ignorantiam invincibilem, nulla inde contrahitur irregularitas juxta veriorum sententiam, ut in 3 tom. dixi, disput. 31, sect. 6; nulla est ergo irregularitas, quæ ex defectu animæ seu spirituali prorsus involuntario contrahatur, sed omnis illa est ex aliquo defectu ad corpus pertinente; quæ ad duo capita revocatur; hic enim defectus potest pertinere vel ad originem, seu propagationem factam modo indebito, vel ex talibus parentibus ortam, ut esse natum ex vago concubitu, etc.; vel ad corporalem defectum ipsius individui, qualis est in ætate, in mutilatione alicujus membri, vel in aliqua ægritudine notabiliter impe-

diente; de quibus omnibus postea sigillatim dicemus.

*An ad irregularitatem, quæ ex proprio actu nascitur, requiratur actus externus.*

5. *Ratio dubitandi pro parte negativa.* — *Exemplis eadem ratio dubitandi roboratur.* — *Primum.* — *Ejusdem confirmatio.* — Circa aliam irregularitatem, quæ ex proprio actu nascitur, occurrit statim dubium, an requiratur actus externus, vel sufficiat aliquando mere internus. Et ratio dubitandi est, quia sæpe in privilegiis Pontificis conceditur confessori facultas dispensandi in irregularitate pure mentali, ut Covarruvias refert, num. 4; non potest autem irregularitas vocari pure mentalis, nisi quia ex actu pure mentali contrahitur; supponunt ergo Pontifices dari aliquam irregularitatem hujusmodi, neque credendum est illusoria esse illa privilegia. Ratione probatur, quia interior actus mentalis aliquando non minorem indecentiam infert, quam exterior actus, ut patet de hæresi mentali, et de odio vehementi occidendi inimicum, etc. Ex parte ergo causæ est in his actibus sufficiens ratio irregularitatis. Ex parte item Ecclesiæ non deest potestas, vel quia probabile est Ecclesiam habere jurisdictionem in actus mentales, vel certe quia hic non requiritur jurisdictio in ipsum actum; nolumus enim hanc irregularitatem imponi in pœnam talis actus, sed solum esse inhabilitatem personæ ob indecentiam talis actus; ad hoc autem sufficit jurisdictio in personam, in qua Ecclesia postulat talem conditionem, v. gr., carentiam talis actus seu immunditiæ, etiam spiritualis, ut sit juridice habilis ad sacros Ordines. Declaratur exemplis; nam Ecclesia facit irregularem eum, qui fuit bigamus ante baptismum, postquam baptizatus est (quod gratia exempli sit dictum), ad quod satis est, ut persona jam baptizata sit de foro Ecclesiæ, quamvis actus, in quo fundatur, factus sit extra Ecclesiæ forum; ergo similiter in præsentis. Aliud exemplum est de indulgentia, quam Pontifex concedere potest propter actum mere internum, quia per indulgentiam non judicat de actu, nec præmium pro illo reddit, sed solum illum requirit ut necessariam conditionem ad exercendum talem actum jurisdictionis circa personam sibi subditam; cur ergo non potest idem dici in præsentis? Confirmatur tandem, quia Ecclesia interdum punit per censuram

et actum habentem talem conditionem internam, et non alias; et aliquando concedit favorem sub conditione pendente ex actu pure mentali, qualis est illa, nisi sub hac spe peccaverit; ergo similiter in presenti potest prohibere exterius sumere vel exequi Ordines cum tali defectu pure mentali; hæc autem prohibitio quod fieri possit, tenuit Glossa ultim. in cap. Perniciose, de Pœnit., dist. 4. Quam sequutus est Bonifacius in Clement. 4 de Homicidio, n. 4, et nonnulli alii juristæ.

6. *Conclusio affirmans. — Rejicitur divisio irregularitatis in magnam et parvam.* — Nihilominus dicendum est nullam esse irregularitatem, quæ propter actum pure mentalem contrahatur. Ita tenet D. Thom., 4. 2, q. 20, art. 5, ad 6; Antonin., 3 part., tit. 26, art. 2; Soto, 5 de Justitia, quæst. 4, art. 9; Ledesma, 2 part. 4, quæst. 26, art. 2; Corduba, lib. 5 de Indulgentiis, quæst. 43, dub. 2; Navar., in dict. cap. Perniciose, num. 6, notab. 3, et in Summa, cap. 27, num. 192 et 226; Covarr., dict. Clement., 4 p., in princ., num. 4, et 2, in princ., num. 3; Villadiego, de Irregularit., cap. 6, num. 23; Sylvest., verb. *Homicidium*, 3, quæst. 4, et 2 et 8; Nicol. Plovius, num. 47, reg. 27; communis Canonistarum cum Gloss. in cap. Si aliquis, de Homicidio, quæ specialiter loquitur de irregularitate homicidii. Et probari solet ex cap. Sicut ex litterarum, de Homicid., in quo solum dicitur, non fieri irregularem eum, qui ante formationem fœtus est causa abortus. Ut ergo hanc sententiam probemus, ne æquivoce procedamus, relinquenda in primis est quorundam modernorum divisio, qui irregularitatem in parvam et magnam partiuntur; parvam vocant quodlibet peccatum mortale, quia impedit administrationem divinorum; vocantque parvam, quia per solam pœnitentiam auferri potest. Illa autem vocatur gravis, quæ non auferitur, etiamsi peccatum per pœnitentiam auferatur. Si ergo prior opinio de priori irregularitate loqueretur, abuteretur quidem voce, tamen in re verum diceret, nam per actum mere internum potest homo impediri, ne possit licite aut Ordines sumere, aut aliquem actum illorum exercere. Tamen hoc non est impedimentum canonicum, nec lege humana introductum, quare improprissime et solum nomine vocatur irregularitas; nec de hoc in presenti disputamus, sed de propria irregularitate, quæ est impedimentum canonicum.

7. *Suadetur conclusio.* — De qua in primis

certum est, de facto nullam esse canonicam legem, quæ hoc impedimentum imponat propter actum pure mentalem. Hoc patebit latius infra discurrendo per singula delicta, propter quæ incurritur irregularitas. Nam si aliquis actus internus ad hunc effectum posset sufficere, maxime esset aliquis peccaminosus, nam propter solam voluntatem aut cogitationem non malam non potest contrahi tanta indecentia, quæ ad hanc inhabilitatem sufficere valeat; at vero jura, quæ irregularitatem imponunt propter aliquos actus, nunquam loquuntur de voluntate, sed de opere aut facto; lex autem lata contra facientem, non extenditur ad volentem tantum, ut recte Navarrus supra notavit, et in cap. Pœnæ, de Pœnit., dist. 4, num. 2 et sequent. Accedit etiam generalis regula juris, Ecclesiam non judicare de internis, quorum cognitor solus Deus est, cap. Erubescant, cum similibus, dist. 32.

8. *Non potest Ecclesia irregularitatem pro actu mere interno imponere.* — Ex quo ulterius probabilius est non posse Ecclesiam similem irregularitatem mentalem imponere, nam ex perpetuo non usu Ecclesiæ probabile argumentum sumitur ad defectum potestatis, in his rebus moralibus, quæ quotidiano usu eveniunt, et essent accommodatæ ad usum, si fieri possent; et ideo si nunquam fiunt, signum est fieri non posse. Unde Alexander Papa, ep. 4, cap. 2, de hac re agens, inquit: *Non potest autem humano condemnari examine, quem Dominus suo reservavit iudicio;* et refertur in cap. 4, 15, quæst. 6, et similia sumi possunt ex cap. ult., 15, quæst. 4, et multa alia adduximus supra tractando de censuris. Nec potest in hoc negotio distingui jurisdictio in personam a jurisdictione in actum. Primo, quia vix posset separari a tali irregularitate ratio pœnæ, quia, ut dicebamus, non potest imponi nisi propter actum peccaminosum. Secundo, quia sicut actus mere internus, quatenus est culpabilis, et dignus pœna, non subjacet hominum iudicio, ita neque quatenus infert aliquam indecentiam, quia etiam illa indecentia est extra hominum forum, quia est extra cognitionem humanam. Tertio, quia jurisdictio in personam quantum ad exercitium hujus actus, qui est imponere irregularitatem, non convenit nisi mediante actu, seu ratione actus; ergo si actus, omni ratione spectatus, est extra forum humanum, persona etiam in ordine ad talem effectum est extra jurisdictionem humanam.

9. *Rationes dubitandi dissolvuntur.* — *Delictum mentale ob quod irregularitas contrahitur, quod dicatur.* — Ad rationes ergo in oppositum dicitur, clausulam illam, per quam conceditur privilegium ad dispensandum in irregularitate mentali, in primis jam non esse in usu. Deinde Navarrus et Covarruyas supra existimant illis verbis impropriis significatam esse irregularitatem contractam ex delicto occulto, de quo infra dicemus. Corduba autem addit probabiliter, irregularitatem mentalem vocari eam, quæ licet per actum exteriorem contrahatur, pendet ex aliqua conditione pure mentali, ut quod fiat ex certa scientia, contemptu, odio, præsumptione, pertinacia; nam hoc modo supra ostendimus posse actum exteriorem puniri ab Ecclesia, ut conjunctum alicui interiori, sine quo non incurreretur pœna; quod in censuris declaratum est, et quoad hoc est eadem ratio in irregularitate. Ac proinde regulæ positæ ad explicandas leges ferentes censuras, ad irregularitates applicandæ sunt, esse scilicet ponderanda singula verba, quibus modus peccandi declaratur, ut *scienter*, et similia, quia non contrahitur irregularitas, nisi opus tali modo factum sit, etiamsi talis modus ex actu mere interno pendeat, et sit veluti denominatio ab illo sumpta.

10. *Respondetur primo exemplo.* — *Satisfit secundo exemplo.* — Ad rationem jam sufficienter responsum est, indecentiam contractam ex culpa mentali esse talem apud Deum, non autem in foro humano, et ideo Ecclesiam non potuisse illam considerare ad inducendam irregularitatem. Et ob hanc causam non est simile primum exemplum de bigamia contracta ex actibus ante baptismum factis. Primo, quia illi actus fuerunt externi, et ideo licet non fuerint de jurisdictione Ecclesiæ, nihilominus subjacent cognitioni Ecclesiæ, et hac ratione potest eorum indecentiam considerare, si fortasse in eis fuit. Secundo, quia illa irregularitas non tam fertur propter actum quam propter significationem vel indecentiam moralem relictam ex actu, quæ permanere potest moraliter in persona jam Ecclesiæ subjecta, etiamsi actus ipsi non fuerint Ecclesiæ subjecti, quod postea examinandum est. Aliud etiam exemplum indulgentiarum non est simile, primo quia jurisdictio ad concedendas indulgentias non tam est fori contentiosior quam pœnitentialis, vel saltem multum de illo participans, eo quod effectus primarius indulgentiæ sit mere internus, et in foro Dei,

et ideo mirum non est, si possit concedi sub mentali conditione. Secundo, quia jurisdictio, quæ exercetur in irregularitate ferenda est coactiva, in indulgentiis autem est voluntaria, in qua potest actus mere internus voluntarie subjici usui clavium. Sic enim votum mentale dispensandum offertur Pontifici, et culpa mentalis absolvenda a sacerdote; hoc autem in jurisdictione compulsiva non admittitur, ideoque obligatio confitendi peccata mere interna ex divino jure, quantum ad substantiam suam, procedit. Atque ob hanc etiam causam magnum esset inconveniens, si propter actum pure mentalem aliquis irregularitatem incurreret, nam cogere suam culpam extra confessionem manifestare, ut dispensationem irregularitatis posset obtinere.

11. *Diluitur confirmatio.* — Ad ultimam confirmationem negatur consequentia, nam Ecclesia nunquam fert legem respicientem aliquo modo interiorem actum, nisi quatenus ille est circumstantia exterioris, seu moraliter in illum influit; tunc enim puniendo exteriorem, potest consequenter respicere omnes circumstantias ejus. In presenti vero, celebratio, v. gr., exterior nullo modo procedit ex culpa mentali alias commissa, neque talis actus mentalis est circumstantia ordinationis, aut executionis Ordinis postea subsequatæ; et ideo non potest hoc prohiberi per irregularitatem propter alium actum mentalem disparatum. Secus vero esset si Ecclesia ferret irregularitatem in eum, qui baptizaret, v. gr., sine intentione baptizandi, quod optime facere posset, quamvis illa carentia intentionis pure mentalis sit, quia non ferretur propter carentiam intentionis, sed propter actum externum cum tali carentia factum, quæ jam est circumstantia ejus.

*An actus externus in sua specie consummatus requiratur ad irregularitatem.*

12. *Conclusio de possibili.* — Secundo dubitari potest, an requiratur opus externum et consummatum ad irregularitatem contrahendam; nam quæ hactenus diximus solum probant requiri actum exteriorem, qui interdum potest esse perfectus, ut homicidium, aliquando vero attentatus tantum, ut aggressio vel sagittatio animo occidendi. Quia vero simile dubium supra de censuris tractatum est, et eandem rationem decisionis in presenti habet, ideo dico breviter, aliud esse loqui de possibili, aliud de facto. De possibili dicen-

dum est, Ecclesiam posse pro quocumque actu exterius prodeunte, etiamsi tantum inchoatum peccatum sit in sua specie, irregularitatem ferre, si iudicaverit illud sufficere ad inducendam causam seu indecentiam, quæ ad irregularitatem satis sit. Probat, quia per quamcumque externam inchoationem constituitur actus intra forum Ecclesiæ, et alioqui non repugnat, ut in eo sufficiens indecentia sit ad irregularitatem imponendam: ergo.

13. *Quid de facto.* — At vero loquendo de facto, verba juris observanda sunt, semperque salva proprietate, quantum fieri potuerit, restringenda, juxta vulgarem regulam cap. Pœnæ, cum similibus, de Pœnit., dist. 4. Quocirca, si actus, pro quo irregularitas imponitur, significetur per verbum indicans opus consummatum usque ad effectus consequutionem, non incurritur irregularitas, donec opus ita consummatum sit; ut, v. gr., si irregularitas fertur propter homicidium, non sufficit velle, aut attentare, aut quæcumque vulnera lethalia infligere, nisi mors sequatur, etiamsi contingat per miraculum impediri, quia talis lex ex vi verborum non fert irregularitatem nisi sub illa conditione; et ideo quocumque causa contingat homicidium non impleri, non incurritur irregularitas. Superius enim de indulgentia diximus, si sub conditione concedatur, et hæc non impleatur per impotentiam, vel quamcumque aliam causam, indulgentiam non comparari; ergo a fortiori idem dicendum est in materia pœnali. Sect. 3 vero est, quando verba legis solum requirunt actum inchoatum seu attentatum, nam tunc inducunt effectum, quantum in rigore sonant, servatis principiis positis; atque adeo si exterior actus eatenus fiat, quatenus in lege prohibetur, jam nihil deest, ut irregularitas oriatur. Quomodo autem hoc ad praxim applicandum sit, constabit ex his, quæ de singulis irregularitatibus dicemus. Et juxta hanc doctrinam intelligendi sunt auctores, quando asserunt irregularitatem non incurri nisi per actum consummatum et perfectum, ut videre licet in Burgasio, de Irregularitate, tit. de *Bigamis*, num. 12; et Soto, lib. 5 de *Justitia*, quæst. 1, art. 9; optime Covarruv. adducens textus utriusque juris in dict. Clement., 2 part., in princip., num. 3, 4, 5 et 6.

*An irregularitas hæc solum per actum mortalem contrahatur.*

14. *Pars affirmans.* — Tertio dubitari potest, an per actum consummatum exterius, et (ut ita dicam) physice, non tamen interius et moraliter, incurrat hæc irregularitas. Videri enim potest vera pars affirmans, quia jam tunc impletur conditio, sub qua irregularitas ponitur, quæ est, *si occideris, si celebraveris excommunicatus*, et similia; ergo id satis est, ut oriatur irregularitas. Patet consequentia, quia voluntas conditionata, posita conditione, transit in absolutam; unde, cum supponatur potestas, habebit effectum. Nam quod actus interior non simul concurrat, vel non perfecte, ad summum efficere potest, ut actus in ratione culpæ excusetur; hoc autem non satis est ad excusandam irregularitatem, quia irregularitas ex se contrahitur sine culpa; solum ergo fiet, ut sicut in illo actu deest ratio culpæ, ita in irregularitate desit ratio pœnæ; tamen irregularitas secundum se consurget in ratione cuiusdam inhabilitatis ex actu illo, qui secundum se habet suam indecentiam.

15. *Tripliciter potest fieri actus externus sine interiori.* — *Prima conclusio.* — *Secunda conclusio.* — Tribus modis contingere potest actum perfecte consummari exterius sine interiori: primo quia omnino deest voluntas interna, quæ constituat illum actum voluntarium, moralem et humanum, ut si dormiens vel amens occidat. Secundo, ut non desit voluntas, quæ constituat illum actum liberum prout actus est, desit tamen voluntas, quæ reddat illum actum voluntarium, quatenus culpabilis esse potest, ut si excommunicatus celebret ex naturali oblivione censuræ. Tertio potest esse actus liber et humanus, habere tamen effectum nullo modo voluntarium aut prævisum, ratione cuius imposita est hæc irregularitas, et non ratione actus secundum se, ut si quis libere venationem exercens, casu omnino involuntario hominem interficiat. In primo casu regula generalis est, hanc irregularitatem non incurri propter hujusmodi actum, quia cum tale opus, humanum omnino non sit, non solum a culpa, sed etiam ab omni pœna et legitima indecentia excusat; ergo non potest esse irregularitatis fundamentum. In secundo casu, et cum eadem proportione in tertio, dicendum etiam est regulariter in illis non incurri irregularitatem, de qua loquimur, quia revera

imponitur propter culpam; et ideo, cessante culpa, non insurgit, quia tunc non impletur conditio. In particulari vero observare oportebit in hujusmodi decretis, per quæ irregularitates feruntur, an cessante irregularitate pœnali, insurgat alia, quæ respiciat actum seu effectum actus secundum se, ratione alicujus significationis vel indecentiæ, quam secum affert seclusa culpa, quod opinor in casibus secundi ordinis nunquam reperiri; et ideo in eis potest generalis regula statui, irregularitatem non contrahi sine culpa, sicut eam statuit Soto, dict. art. 9, proxime citato. Quæ confirmari potest ex multis textibus in decreto, d. 50, et expressius in c. Apostolicæ, de Cler. excomm. minist., ubi dicitur, suspensum ex probabilis ignorantia celebrantem divina excusatum esse, utique ab irregularitate, ut omnes exponunt; quid enim aliud in eo excusandum erat? Difficultates autem, quæ in actibus hujus secundi ordinis occurrere poterant, maxime versantur circa susceptionem Ordinum, illegitimam quidem secundum se, bona tamen fide factam; eos tamen omnes attingimus et resolvimus agentes de suspensione, ubi diximus illam solum esse carentiam negativam usus Ordinis suscepti, quæ aliquando contrahitur sine culpa, quia alius dare non potuit, quod fieri solet in injuriam ordinantis, ut jura loquuntur. In tertio autem ordine actuum, quamvis etiam sit certum sæpe in illis excusari irregularitatem ob defectum voluntatis, ut probant multa decreta sub titulo homicidii, nihilominus difficultas specialis est, an sit aliquando facienda aliqua exceptio, de qua re melius dicemus agentes de irregularitatibus homicidii, quia in illis solis habet locum hæc difficultas.

*An venialis culpa sufficiat ad hanc irregularitatem.*

16. *Pars affirmans.* — *Sententia negans.* — Quartum ergo dubium est, quando ad irregularitatem contrahendam necessaria est culpa, an venialis sufficiat. Partem affirmantem videtur sensisse Cajetan., 2. 2, q. 64, art. 8, dicens, per illud homicidium casuale, quod contigit dando operam rei illicitæ, incurri irregularitatem, quia non excusatur quis ab omni culpa, licet excusetur a mortali. Ubi (quidquid sit de veritate exempli, nam ibi etiam potest intervenire excusatio a veniali culpa occisionis), supponit, culpam venialem sufficere ad irregularitatem contrahendam.

xxiii bis.

Idem apertius in Summa, verb. *Irregularitas*, probatque exemplo excommunicationis minoris, quæ propter veniale peccatum incurritur, et tamen privat majori bono quam irregularitas, quia irregularitas solum privat susceptione unius sacramenti Ordinis, et consequenter ejus executione; excommunicatio autem minor privat susceptione omnium sacramentorum. Unde sentire videtur, irregularitatem non solum ex accidenti incurri posse propter peccatum veniale, quando opus ex se est mortale, excusatio tamen intervenit, licet non integra et ab omni culpa, sed etiam directe et per se posse per legem imponi propter actum, qui de se tantum esset veniale peccatum. In hanc sententiam inclinant Armill., verb. *Irregularitas*, num. 4, et Covarr., dict. Clementin., 2 part., § 4, n. 9, quatenus aiunt, culpam levem in præcavendo homicidio sufficere ad irregularitatem contrahendam. Idem tenet Castro, lib. 1 de *Lege pœnali*, cap. 3, docum. 4, in fin.; et Cordub., lib. 2, q. 26, circa finem, citans Sylvestrum, et alios. Contrariam sententiam insinuat Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 2, § 4; tenent Medin., Cod. de *Jejun.*, q. d. de *Necessitate servandi jejun.*; Soto, dict. art.; Navarr., cap. 27, num. 252 et 253, et cap. ultim., 44, quæst. 6, num. 21. Et mihi videtur vera. Ut tamen illam explicem, distinguo hic duas quæstiones. Una est, an irregularitas pœnalis (de qua tantum loquimur) ponatur propter culpam ex suo genere venialem; alia est, an posita propter culpam ex suo genere mortalem, incurrat propter actum, qui in individuo est tantum venialis.

17. *Prima conclusio.* — Dico ergo primo: irregularitas nec imponitur, nec videtur posse imponi propter culpam de se venialem. Probat primo, quia nulla est lex canonica, quæ propter talem culpam talem imponat pœnam. Secundo, quia suspensio gravis non ponitur propter talem culpam, ut supra dixi; at irregularitas æquiparatur, vel excedit, ut jam dicam. Tertio, quia pœna debet esse proportionata; hæc autem videtur nimia. Nec est simile de excommunicatione minori, quia irregularitas omnibus pensatis est longe gravior, quia privat executione Ordinum, eorumque habilitate, et non est medicinalis pœna, sed vindicativa et de se perpetua, et difficilem habet dispensationem. Nam, licet quidam dicant posse dari ab Episcopo, quando incurritur propter veniale, et illud etiam est satis grave onus, et præterea non constat de tali